IN NOMINE TRINITATIS.

DE

SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ

DISPUTATIO THEOLOGICA

SEXTA ET ULTIMA,

Quæ est

De illâ Quæstione:

QUODNAM SIT SUFFICIENS FUNDAMENTUM RECEDENDI A LITERA, ET ADMITTENDI TROPUM?

POSTERIOR.

Quam

In Illustri Universitate Jenensi

SUB PRÆSIDIO

PRO-RECTORIS MAGNIFICI

VIRI

Reverendi plurimùm, Amplissimi atq; Excellentissimi

DN. CHRISTIANI CHEMNITII, SS. Theol. Doctoris atq; Prof. Publ. famigeratissimi, Ecclesiæ Jenensis Pastoris, ac reliquarum, quæ hujus sunt Diœceseωs, Superattendentis longè vigilantissimi, Domini, Patroni atq; Præceptoris sui jugi submissione animi æternùm devenerandi

Publicè respondendo καδδύναμιν tuebitur

GEORGIUS Götze/ WICHMARIA-THURINGUS.

Ad d. XXVII. Mensis Februarii

In Auditorio Majori.

TYPIS EXPRESSIT GEORGIUS SENGENWALD,

ANNO CHRISTI MDCLVI.



In Nomine Sacro-Sanctæ Trinitatis.

De

SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ

DISPUTATIO THEOLOGICA SEXTA ET ULTIMA,

Quæ est

De illâ Quæstione:

QUODNAM SIT SUFFICIENS FUNDAMENTUM RECEDENDI A LITERA, ET ADMITTENDI TROPUM? POSTERIOR.

THESIS PRIMA,



HActenus igitur ostensum est, *quòd RATIO HUMANA non possit esse FUNDAMENTUM vel PRINCIPIUM, propter quod in Dictis Sacræ Scripturæ, mysteria fidei exponentibus, admittendus sit TROPUS.* Mysteria enim fidei sunt extra ejus objectum, & supra eam constituta: & per revelationem supernaturalem & divinam innotescunt: Et si pro principio admitteretur, oppidò haberent hæretici, ut de RATIONE, sed malè tamen applicatâ, gloriarentur. Nunc itaq; in materiâ eâdem, cum DEO, pergendum est.

II. Considerandum igitur est III. *An non sufficiens fundamentum recedendi à literâ, & admittendi Tropum, sit CONTRADICTIO?* Quando videlicet aliqua assertio Sacræ Scri-

 pturæ,

pturæ, apertè videtur alicui principio RATIONIS aut NATURÆ contradicere. Quæ consideratio quidem cum præcedenti Secundâ maximam partem coincidit: voluimus tamen de eâ hîc separatim adhuc agere; Ut deveniamus ad illas duas itidem nobiles quæstiones. I. *Ad quem Judicium de Contradictione in tali casu pertineat?* II. *Unde petenda sint fundamenta conciliandi Contradictionem, tùm quando SCRIPTURA, & RATIO in abusu constituta sibi invicem contradicunt; tùm quando Scriptura ipsa sibi videtur contradicere?* Sunt enim mysteria fidei ita comparata, ut ad decempedam humanæ RATIONIS mensurari non possint. Unde fit, ut quando v.g. Sacra Scriptura dicit: *Virginem peperisse, Esa. 7. v. 14. Matth. 1. v. 23. Luc. 2. v. 7.* Humana RATIO, malè applicata, & extra suam Sphæram egrediens, dicat, hoc esse impossibile; cùm *virgo*, ut talis, *parere non possit*, sed *uxor*, cognita viro. Sic quando Sacra Scriptura dicit: In sacrâ cœnâ adesse & distribui verum CORPUS & verum SANGUINEM CHRISTI, propter manifesta verba Institutionis, *Matth. XXVI. v. 26. 28. Hoc est corpus meum: Hoc est Sangvis meus:* Humana RATIO apud Calvinianos in abusu constituta, semper contradicit, & caussatur impossibilitatem; siquidem unum idemq; numerô corpus non possit esse in pluribus locis. Persvasi enim sunt, de crassâ, locali & Capernaiticâ præsentiâ ac manducatione nos intelligere verba Sacræ Scripturæ. Sic quando Sacra Scriptura dicit: *DEUM esse unum;* & tamen *TRES esse, qui testimonium dent in cœlo: Deut. 6. v. 1. Joh. 5. v. 7.* RATIO, apud Photinianos, Judæos & Turcas, in abusu constituta; pertinaciter se opponit, & isti summo mysterio non sine blasphemiâ contradicit. Sic quando *VERBUM* dicitur *CARO factum Joh. 1. v. 14* in promtu est, ex humanæ RATIONIS abusu, contradicere per illud Principium: *Finitum non esse capax infiniti.* Et *diversas numero Naturas, diversas quoq; numero habere*

hypo-

hypost..ses. Anne igitur propterea Litera deserenda est; & propter hanc *CONTRADICTIONEM*, quam allegat Ratio, malè sese gerens; in verbis Sacræ Scripturæ admittendus est Tropus? aut glossa & conciliatio talis addenda, quæ RATIONEM, in abusu constitutam, revelationi divinæ & evidentissimæ literæ anteferat. Profectò nemo hoc dixerit. Patet ergò & hîc, *CONTRADICTIONEM illam, non posse esse sufficiens fundamentum recedendi à literâ, & admittendi Tropum, in verbis Sacræ Scripturæ, mysteria fidei concernentibus:* Sed ibi RATIONEM admonendam esse, ut se contineat intra sua septa, & intra suum circulum. Utcunq ergo sexcenties dicant & ad ravim usq; clamitent Adversarii: *Hoc adversatur rectæ RATIONI! Hoc est contra omnem RATIONEM! Hoc per omnem RATIONEM est impossibile!* tamen nihil efficiunt. Quia 1. *Ratio* illa, quam allegant, non est *recta*, sed *malè applicata.* 2. Quia quicquid PRIMA VERITAS revelat, est credendum, quamvis id RATIO HUMANA tanquam inferior, non capiat. Hinc de Peccato Originali & dicto Psalm. LI. scribit *B. Chemnitius* in Examine Concilii Tridentini *Part. I. p. 92. Edit. Francof. Cùm igitur massa embryonis, in primo ardore conceptionis, primùm inciperet uteri calore foveri, jam erat peccato contaminata, quæ contaminatio juxta Davidis confessionem, habebat veram rationem peccati, cùm nondum formata essent vel mentis, vel voluntatis, vel cordis organa. Non autem ignoro, quàm multa hîc possint disputari, de voluntario, de origine animæ, & conjunctione ejus cum corpore: sed nos cum Ambrosio, non Dialecticorum argutiis, sed piscatorum simplicitati credimus.* Contradictio igitur, quæ inter Sacram Scripturam & RATIONEM, malè applicatam, est; non potest esse tantæ rei principium aut fundamentum; ùt clarum est & manifestum!

III. Sed inquis: *Esto hoc de RATIONE in abusu constitutâ & malè applicatâ: Sed quando RATIO recta est, & principiis*

 suis

ſuis rectè utitur, eſt ne tum fortaſſe ſufficiens fundamentum recedendi à literâ & admittendi Tropum? Ut dubium hoc tollamus, diſtinctè procedendum erit. Quare I. Aut quæſtio eſt, de REBUS *merè naturalibus*, & etiam *hoc modo expoſitis* in Sacrâ Scripturâ: & de hiſce judicium RATIONI rectæ; ut & jus, propter ſua principia recedendi à clarâ literâ & admittendi Tropum, libenter concedimus. Si quis enim dicere velit, Johannem per integrum triennium in utero geſtatum fuiſſe: meritò ipſi oppono verba Lucæ, *cap. 1. v. 57. Eliſabetha verò completum eſt tempus pariendi: & peperit filium;* & provoco ad curſum Naturæ, quem verba manifeſtè indicant & præ ſe ferunt; dum dicitur: *completum eſt tempus pariendi:* Et *ſexti menſis* mentionem facit Angelus, *Luc. 1. v. 36.* Aut quando aliquis mari tribuere velit *vectem* & *valvas*, propterea quod ei legantur *appoſiti, Hiob. XXVIII. v. 16.* rectè pronunciatur ex ipsâ Naturâ, Ratione & Experientiâ: in illis verbis contineri Metaphoram. Aut quæſtio eſt de iis REBUS, *quæ puræ fidei & revelationis divinæ ſunt.* Et ita etiam RECTÆ, & intra ſuam Sphæram ſeſe continenti Rationi, nihilominus judicium de iis, ac fundamentum recedendi à clarâ literâ, & admittendi Tropum detrahimus. Cauſa eſt: quoniam RES iſtæ, quæ meræ & puræ revelationis ſunt, humanam Rationem exſuperant, & ſunt ſupra captum ejus. Quod igitur ipſa non capit, id quoq; non judicat; ut manifeſtisſimè liquet. Nec quicquam hîc humanæ RATIONI decedit, aut detrahitur. Relinquitur enim iſta in ſuo foro, & intra ſuos Terminos. Ac Revelatio Divina, ſine ejus conſilio, ea quæ puræ ſunt fidei, in Sacrâ Scripturâ perſpicuis & evidentibus verbis exponit. Deinde II. Aut eſt quæſtio *de veritate Connexionum:* Aut eſt quæſtio *de veritate ſententiarum.* Jam ſi de hac quæritur; patet iterum, intra ſuam Sphæram modeſtè RATIONEM HUMANAM continere ſeſe debere. *Quia caro &*

San-

Sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis, dicebat CHRISTUS *ad Petrum*, insignem de sese confessionem edentem, *Matth. XVI. v. 17.* Si autem *de veritate connexionum* quæstio & sermo est; ùt quando *vel* in ipsâ Scripturâ unum colligitur ex altero: *aut* nos aliquid per bonam, legitimam & necessariam consequentiam, ex Sacrâ Scripturâ concludimus: ibi RATIO RECTA non est excludenda. Sic enim Paulus *Rom. XI. v. 6.* ex eo, quod dixerat electionem factam esse secundũ gratiam: rectè colligit; & ex principio humanæ Rationis primo, per legitimam connexionem dicit: *Quod si per gratiam, non jam ex operibus: quandoquidem gratia, jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia, quandoquidem opus, jam non est opus.* Quantum autem & hîc RATIONI permittendum sit & debeatur, patebit ex sequentibus.

IV. Optimè intellexit hæc, & ne quisquam Philosophiam & rectam RATIONEM in vero usu constitutam suo necessario usu & meritissimâ laude per imprudentiam fortè aut ignorantiam privaret, diligenter præcavit, bonus ipse Dialecticus, augustissimus Pater *Augustinus*, dum lib. *II. de Doctr. Christ. c. 31.* scribit: *Restant ea, quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, ubi disciplina regnat disputationis & numeri. Sed Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sanctis sunt penetranda & dissolvenda plurimum valet: tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Item: Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur. Quæ tamen ad hoc inferuntur à bono & docto homine: ut in iis erubescens ille, cujus errorem consequuntur, eundem relinquat errorem: quia si in eodem manere voluerit, necesse est, ut etiam illa, quæ damnat, tenere cogatur.* Id quod exemplo collectionis Paulinæ, *1. Cor. 15. v. 16.* illustrat; & subdit: *Cùm ergo sint veræ connexiones, non*

solùm

solùm verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt. Sententiarum autem veritas in sanctis libris Ecclesiasticis investiganda est. Homo enim, *timens DEUM*, inquit *Lib. III. c. 1. p. 20. Voluntatem ejus in Scripturis sanctis diligenter inquirit.* Et adhuc clariùs, *cap. XXXII. Ipsa tamen veritas connexionum, non instituta, sed animadversa est ab hominibus, & notata, ut eam possint vel discere vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua & divinitùs instituta. Sicut enim, qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit: & locorum situs, aut naturas animalium, vel stirpium, vel lapidum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas: & ille, qui demonstrat sidera, eorumq; motus, non à se vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat: sic etiam qui dicit, cum falsum est, quod consequitur, necesse est, ut falsum sit, quod præcedit, verissimè dicit, neq; ipse facit, ut ita sit, sed tantùm ita esse, demonstrat. Et hæc Regula,* dicit sub finem hujus capitis, *pertinet ad veritatem connexionum, non ad veritatem sententiarum.* Ac *Cap. XXXIV. Quapropter aliud est nosse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem. In illis discitur, quid sit consequens, quid non consequens, quid repugnans. Consequens est: Si orator est, homo est. Inconsequens; Si homo est, orator est. Repugnans, si homo est, quadrupes est. Hic ergo de ipsâ connexione judicatur. In veritate autem sententiarum, ipsæ per se sententiæ, non earum connexio consideranda est, sed veris certisq; sententiis, cùm incertæ verâ connexione junguntur, etiam ipsæ certæ fiant, necesse est. Quidam autem sic se jactant, cum veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum ipsa sit veritas. Et rursus quidam plerumq; retinentes veram sententiam, malè se contemnunt: quia leges conclusionis ignorant.* Hæc omnia *Augustinus*. Quæ etiam ea, quæ modò afferebamus, egregiè tàm illustrant, quàm confirmant.

V. Quando ergo nunc quæritur: *Ad quem judicium de con-*

de contradictione, in simili nimirum casu, quando RES SACRÆ SCRIPTURÆ, *&* RATIO *in abusu constituta, sibi contradicunt; uti per aliqua exempla in Thes. II. planum fecimus: pertineat? ex Augustino* respondemus: Quantum attinet ad *veritatem connexionum*, domesticum id & proprium Bonum est Logicæ. Quantum autem attinet ad *veritatem sententiarum*; Id nullô modô *Logici* est: sed *Theologi*. Theologus enim ex Sacrâ Scripturâ proponit veritatem sententiarum, & dicit: Hanc vel illam assertionem evidenter in Scripturâ contineri, & propterea limitationem aliquam principio Naturæ, quod opponitur, addendam, aut illud rectè, nec extra suam orbitam efferendum aut explicandum & intelligendum esse. Quod commodè etiam exponi solet ita: *Contradictionem* considerari aut *formaliter*: aut *materialiter*. Logicam & Humanam RATIONEM; dici potest, judicare de *Contradictione Formali*. Videlicet; aliquas propositiones, v. g. illas: *Finitum non est capax infiniti*: & *Finitum est capax infiniti*, sicut factum est in Incarnatione, si intelligantur secundùm veræ contradictionis requisita; esse verè contradictorias. Non autem *de Materiali*. Quod enim illa Propositio: *Verbum caro factum est*, alteri non contradicat; siquidem mysterium hoc sit, quod supernaturaliter sit factum & extra cursum Naturæ: hoc docet & tradit Sacra Scriptura, & ex eâ, Theologia. Verus est ergò ille Canon tantùm in suâ Sphærâ.

VI. Ex quo patet etiam alterum: Nempe; *Unde petenda sint principia conciliationis, per quæ concilianda sit ejusmodi apparens contradictio?* Videlicet; quando propositio aliqua, naturaliter cognita, & altera divinitùs revelata invicem videntur pugnare & sibi contradicere: tunc quoad *propositionem revelatam*, itidem hoc vindicamus soli Sacræ Scripturæ. Imò; quamvis Principia RATIONIS rectè, & in Sphærâ suâ explicare sit Rationis: tamen primæ partes, quoad *concilia-*

tionem, in solidum ad Theologiam spectant; Siquidem in tali casu plerunque non de propositione naturaliter cognitâ: sed de propositione revelatâ potissima controversia est. Hanc ergo tanquam *veritatem sententiarum* defendit *Fides* & *Theologia*; ostendens, eam propter evidentem revelationem divinam veram esse & credendam; quandoquidem quicquid prima veritas revelat, id fit infallibiliter verum. Utcunq; RATIO id nequeat comprehendere; aut à Theologo explicari modus, quo ista fiant. Ac ita ista veritatem sententiarum defendit; & quantum ad propositionem *revelatam* attinet, *principia conciliationis*, quoad *materialia*, suppeditat. Sacra enim Scriptura est, quæ fidei mysteria tradit, & eo ipso, dum per revelationem divinam nobis innotescere ea facit, simul erudit, quòd supernaturalia sint; neutiquam ad RATIONEM HUMANAM aut cursum Naturæ examinanda, sed piè credenda. Diximus; *Quoad materialia; Sacram Scripturam & Theologiam suppeditare principia conciliandi contradictionem*. Nam quod attinet *Formalia principia* istius conciliationis; nempe quòd cõtradictio sit & fieri debeat respectu *ejusdem*, de *eodem*, secundùm *idem*, & *in eodem tempore*: hæc suppeditat RATIO & Logica. *Materialia* autẽ quoad *enunciationem revelatam* suppeditat Sacra Scriptura & Theologia, quæ nititur quoad revelationem divinam & veritatem sententiarũ his quatuor quasi columnis. DEUS est I. *Sapientia* ipsa, & quidẽ infinita: E. non potest errare. Est II. *Bonitas* ipsa; E. nõ potest fallere, aut per obscura & fallacia verba decipere. Est III. *Veritas*; E. non potest mentiri, quoniam *impossibile est, DEUM mentiri, Ebr. VI. v. 18.* Est IV. *Omnipotentia*: Ergò; quicquid pollicetur & dicit, hoc etiã facit. *Quia non erit impossibile apud DEUM omne verbum*. Luc. I. v. 37. Quicquid ergò evidenter in Sacrâ Scripturâ & perspicuè revelatum; id verum est, & credendum, quamvis universus mundus contradicat. Nam

garriat

garriat ille: nos credimus! & dicimus: Multa nobis videri implicare contradictionem, quæ tamē reverà nō implicent.

VII. Ne autem sub preciosissimis & solidissimis illis fundamentis, nobis credendum aliquid obtrudatur, quod tamen in verbo revelatum non sit; Sicut de *Transsubstantiatione* apud *Chemnitium Part. II. Exam. p. 76.* Andradius tale formavit argumentum: *Scriptura affirmat, apud DEUM non esse impossibile omne verbum. Ergò credenda est Transsubstantiatio, etsi naturæ vires ac modum, humanumq; captum longè intervallò superet, elegans enim & vera est Augustini sententia: Cùm DEUS aliquid facit, quod nos investigare non possumus, ratio facti est potentia facientis.* Notanda sunt, quæ *B. VIR* egregiè ibidem reposuit: *Sed plana est*, inquiens, *ad hoc argumentum responsio. Non enim, quia DEUS omnipotens est, ideò quicquid nobis visum fuerit, sine verbi ipsius testimonio ipsi tribuere debemus. Tertullianus inquit: Potuisset DEUS hominem volatilem facere, sed non quia potuit, ideo & fecit. Scriptura igitur tradit hanc regulam: Omnia, quæcunq; voluit, fecit. Voluntas autem DEI in rebus fidei ex verbo ipsius discenda & judicanda est. Et quando de voluntate DEI ex verbo certò constat, tunc valet argumentum ab omnipotentiâ. Ideò significanter Angelus loquitur, cùm affirmat omne verbum, hoc est, quicquid in verbo patefecit, apud DEUM non esse impossibile. Transsubstantiatio igitur ex verbis CHRISTI clarè probanda, & ostendenda est: & tunc intellectum nostrum libenter, Spiritu Sancto adjuvante, captivabimus in obsequium CHRISTI. Sed illam probationem præstare non possunt. Frustrà igitur de Omnipotentiâ DEI concionantur.* Nam *Andradius*, ût pergit *B. Vir p. 78. post mediocrem velitationem, Transsubstantiationem collocat inter illas res, quæ nullis Scripturæ Sacræ testimoniis apertè definitæ & explicatæ sunt. Nos igitur ad totam disputationem rectè accommodamus verissimum illud axioma: Nihil pro articulo fidei Ecclesiæ proponendum esse,*

 quod

quod non ex manifestis, certis & firmis Scripturæ testimoniis, apertè ostendi & probari potest. Hæc B. *Chemnitius.*

VIII. Sed quòd *Sacra Scriptura Materialia principia suppeditet, conciliandi Contradictionem; tùm* quando sibi opponi videntur propositiones duæ, quarum altera *revelata*; altera *naturaliter cognita*; *tum* quando duæ Propositiones *revelatæ* sibi invicem contradicere videntur: Id nunc exemplô aliquô probabimus. Nam *Genes. XXI. v. 12.* dicebat DEUS ad Abrahamum: *In Isaac vocabitur tibi semen. Cap.* autem *XXII. v. 2.* jubetur *Isaacum mactare, in cineres redigere, & Domino in holocaustum offerre.* Hæc certè non videbantur cohærere. Nam Isaacum habere vivum stipitem progeniei: Et Isaacum non habere vivum stipitem progeniei; omninò videntur esse contradictoria. Unde elegantissimè de hac re B. noster *Lutherus* scribit, *Comment. in Genes. p. 273. f. b. Dixi, quæ fuerit tentatio Abrahæ, nempe contradictio promissionis. Egregiè igitur hic elucet ejus fides, quòd tàm promtô animô, jubenti DEO obsequitur; & quanquam mactandus sit Isaac, tamen de promissione implendâ nihil dubitat, etiamsi modum impletionis ignoret. Etsi autem trepidat & pavet: quid enim aliud faceret Pater? tamen hæret in promissione, futurum, ut aliquando habeat semen Isaac. RATIO HUMANA*, pergit, *simpliciter concluderet, aut mentiri promissionem, aut mandatum non esse DEI, sed Diaboli. Est enim contradictio manifesta. Si enim debet occidi Isaac, irrita est promissio: Sin rata est promissio, impossibile est, hoc esse DEI mandatum. Aliud ratio non potest, sicut exempla ostendunt in severioribus negotiis! Sacramentarii*, scribit porrò B. VIR, *contradictionem faciunt, quòd CHRISTUS dicit: Accipite, hoc est corpus meum: & CHRISTUS sedet ad dextram Patris. Inde concludunt: Ergò in cœnâ Domini tantùm distribuitur panis & vinum, non corpus & sangvis CHRISTI. Item: Caro nihil prodest; Christus in cœnâ dat carnem suam. Ergò CHRISTI caro in-*

agnâ

tanâ, non est. Hoc verè est illotis pedibus irruere in Scripturam Sacram, & sequi cæcum rationis judicium. Et tandem inquit: *Abraham, etsi hic manifesta contradictio sit (inter mortem enim & vitam nullum medium) tamē non discedit à promissione: sed credit morientem filium habiturum semen. Idem nos quoq; discamus. Ad hunc modum innititur Abraham promissioni, & tribuit divinæ majestati hanc potentiam, quòd mortuum filium sit reductura in vitam. Sicut enim vidit natum ex effœtâ matre & matre sterili: sic etiam sepultum, & in cinerem redactum credidit excitandum esse, ut habeat ex se semen, sicut Epistola ad Hebræos dicit: Potens est DEUS etiam mortuis dare vitam. Intellexit igitur Abraham articulum de resurrectione mortuorum, & per eum solum solvit hanc contradictionem, quæ aliàs solvi non potest, ac meritò prædicatur à Prophetis & Apostolis ejus fides.* Hæc B. noster *Lutherus.* Ex quibus patet I. quòd omninò Sacra Scriptura ipsa, non RATIO HUMANA *materialia* illa principia suppeditet, per quæ apparentes contradictiones queant conciliari. Sicut Abraham per *Articulum Resurrectionis* solvit hanc contradictionem: *cum illud secum perpendisset, DEUM vel à mortuis excitare posse, Hebr. 11. v. 19.* II. Verbo simpliciter esse adhærendum; si vel maximè specialem modum hujus vel illius mysterii nō possimus comprehendere. DEUS enim potest ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ, ὧν αἰτούμεθα, ἢ ὧν νοοῦμεν, κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν, *Ephes. III. v. 20.* Hinc etiā *Formula Concordiæ* dicit in *Declar. p. 738. Satius esse verâ humilitate & obedientiâ credere perspicuis atq; dilucidis verbis Salvatoris, ejusdemq; serio mandato, quàm ad rationis nostræ magisterium illa examinare: hac in parte observato exemplo Abrahami, qui verbo DEI, de offerendo filio, simpliciter credidit, quantumvis illud & cum omni ratione, & cum promissione de semine* CHRISTO, *ex Isaaci stirpe oriundo pugnare videretur: non dubitans, quin DEUS plures habeat modos, per quos promissionem illam implere*

possit. Verbo igitur credamus: specialem modum verò DEO relinquamus, & contenti simus generalibus illis *materialibus* principiis, *quæ; & quatenus* ineffabilia ista mysteria in Sacrâ Scripturâ nobis revelavit.

IX. Liquet etiam hinc, quàm non sint statim cristæ erigendæ, aut arma sumenda, quando aliquis dixerit, *DEUM posse facere contradictoria.* Si enim hæc ejus sententia est: *DEUS potest facere ea, quæ Rationi humanæ in abusu constituta videntur contradictoria, vel contradictionem implicare.* Verissima est sententia, & cuivis Christiano probanda. DEUS enim potest facere *suprà ea, quæ intelligimus, Ephes. III. v. 20.* Et quoniam DEUS est infinitè sapiens: ideò potest secundùm suam sapientiam & omnipotentiam facilimè modum invenire, ut contradictionem reverà non implicet, quod nobis implicare videbatur. Sicut *virginem parere;* toti mundo irregenito videtur contradictionem implicare, & propterea esse impossibile. Sed DEUS pro suâ sapientiâ & omnipotentiâ facilimè invenit modum, ut neq; contradictorium id reverà sit, neq; impossibile: quia videlicet factum id est *per virtutem Altissimi, & obumbrationem Spiritus Sancti, Luc. I. v. 35.* Sic quòd in Thes. II. allatum est, ex mente Calvinianorum: *Unum numero corpus non posse esse in pluribus locis:* verum est de præsentiâ *locali, circumscriptiâ; & potentiâ naturali:* falsum de præsentiâ *Sacramentali; personali; majestaticâ; & omnipotentiâ divinâ.* Item: *Quòd DEUS est unus & Trinus,* omni contradictione caret; quia *Unus est in essentiâ: Trinus* autem *in Personis;* & si RATIO HUMANA hoc penitùs intelligeret, non amplius esset mysterium & supra RATIONEM. Item; Quòd *finitum non dicitur esse capax infiniti;* Et *qualibet Natura individua peculiarem habere hypostasin!* conciliandum est cum veritate revelatâ & Sacrâ Scripturâ, ut dicatur, illa omnia ita sese habere in *naturalibus:* extra Sphæram autem

Natu-

Naturæ, *diversum* ostendere Sacram Scripturam. Nemo enim novisset, *Hypostasin à Naturâ Individuâ Humanâ abesse & separari; & Hypostasin* alicujus Naturæ alteri, nempe Hypostasin divinæ Naturæ, Humanæ communicari, duarumq; Naturarum eandem esse Hypostasin potuisse; nisi Scriptura dixisset: *Verbum caro factum est, Joh. I. v. 14.* Beatus igitur, qui Sacræ Scripturæ perspicuè loquenti credit: maledictus autem, qui ei cæcitatem & contradictionem suam malitiosè opponit.

X. Legendus autem hîc erit, & conjungendus B. noster *Gerhardus* in Methodo Studii Theologici, Sect. post. de cognitione Philosophiæ, *cap. 1. & 2.* ubi inter alia dicit *p. 112.* I. graviter peccari, quando axiomata Philosophica accipiantur, ùt generalia, & mysteriis fidei opponantur, cùm tamen sint specialia, & in suâ duntaxat Sphærâ obtineant veritatem. II. Quando judicium de verâ contradictione in mysteriis fidei committatur humanæ rationi. Certum enim quidem est, inquit, DEUM non facere absolutè & simpliciter contradictotia, ac proinde etiam certum est, contradictionem absolutè & simpliciter sic dictam non habere locum in mysteriis divinis: sed ex principiis rationis non debet, nec potest, fieri judicium, quænam sint verè contradictoria in fidei articulis, verùm ex revelato verbo rectè hac de re statuendum. Et *p. 115.* hoc ipsum, quòd judicium de verâ contradictione in articulis fidei non committendum sit humanæ rationi, demonstrat 1. quia mysteria fidei sint supra captum rationis posita 2. quia RATIO non possit judicare de potentiâ DEI, quid possit vel non possit præstare. Unde *p. 119.* addit. Distingvendum inter potentiam DEI ordinariam & absolutam, hæc enim potest ea, quæ *contradictionem nobis involvere videntur.* Ubi notari velimus verba: *Videntur*, inquit; non, *quæ reverà implicant*; ne quis B. VIRO injuriam faciat, aut in-

aut innocentem in jus vocet, & inscitiæ aut imprudentiæ postulet. 3. Quia RATIO per lapsum est excœcata, vanitate, erroribus ac tenebris implicata, in divinis ac spiritualibus rebꝰ judicandis. 4. Rationem jubemur captivare sub obsequium CHRISTI, *2.Cor.10.v.5.* Ac III.*p.127.* subjungit. Præterea *limitationes, & explicationes illas Philosophicorum axiomatum non profert Philosophus, quà Philosophus, ex suæ scientiæ principiis, ea enim ignorat divina mysteria* (patet, quòd de limitationibus ex ipsis mysteriis & ipsorum Principio, Sanctâ Scripturâ petitis, ut & de piâ submissione, & admonitione, ne RATIO suos limites excedat; loquatur) *quomodo igitur propter illa limitabit sua axiomata? Sed quà Christianus, vel potiùs, quà Theologus ex Theologiæ principiis.* Et hinc est; quòd inter Christianos & Orthodoxos, Cathedra Theologica & Philosophica nullatenus pugnent; sed amicè se respiciant. Tradunt enim, si qua alterâ indigeat, operas mutuas; & utraq; alterius veritatem intra suam Sphæram relinquit, & si eâ opus habet, eandem præsupponit. Ostensum ergo est ita: I. *Contradictionem rationis in abusu constitutæ non esse causam, quam ob rem sit admittendus Tropus, aut recedere nos oporteat in rebus* FIDEI *à clarâ literâ.* II. *Judicium de Contradictione in mysteriis* FIDEI, *& in Rebus Sacræ Scripturæ, quoad materialia soli competere Theologiæ.* Et propterea III. *Etiam materialia principia, ea cum principiis* RATIONIS *conciliandi, ex Solâ Scripturâ Sacrâ esse petenda. Veritas* autem *connexionum*; & quæ ad *formalem rationem veræ contradictionis* pertinent: sicùt sunt Bona, RATIONIS HUMANÆ propria; ita illa ipsa eadem ut fidelis ministra, libenter ad USUM divinæ ac revelatæ veritatis destinat. Rectè enim Augustinus, *Lib.II. de D.C. cap.40. Philosophi autem qui vocantur, si qua fortè vera & fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vendicanda.* Haud aliter

atq;

atq; nos ipsi, quoniam alias rectè res explicari non potuisset, multa ex ejus Cathedrâ, bonâ ejusdem Pace, hùc advocavimus. *Explicatio* in sese enim Principiorum RATIONIS, & Terminorum ejusdem; pertinet ad RATIONEM. Sed *applicatio* illorum Principiorum & Terminorum ad RES FIDEI, quantum quidem *materialia* attinet; pertinet ad Theologiam, cujus est judicare de REBUS FIDEI. Ac, si idem etiam facit Philosophus, facit id, non ut *Philosophus*, sed ut *Christianus*, aut *Theologus*; & ut RES FIDEI à Theologis probatas ex Sacrâ Scripturâ, præsupponit. Ut est luculentissimum.

XI. Nunc itaq; exponamus tandem: *Quodnam sit verum & genuinum atq; sufficiens fundamentum; recedendi a clarâ literâ & admittendi Tropum?* *Augustini* REGULAM superiùs ex *Lib. III. de D. C. cap. X.* audivimus; Nempe, *Quicquid in sermone divino neq; ad morum honestatem, neq; ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognosces.* Et *cap. XI.* inquit: *Quicquid ergò asperum, & quasi sævum factu dictuq; in Sacris Scripturis legitur ex personâ DEI vel sanctorum ejus, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quod si perspicuè sonat, non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictum sit.* Item *Cap XVI. Si præceptiva locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.* Sunt ergò, juxta Augustinum, *Duo* hujus rei *Principia* I. *Morum honestas.* II. *Fidei veritas.* Quicquid his adversetur; dicit *figuratum* esse; quicquid non adversetur, etiam *figuratum non esse.* Sicut etiam *Flacius l. cit.* Regulam ita effert: *Verba sacrarum literarum propriè accipienda sunt, nisi loci SENSUS in aliquem articulum fidei, aut charitatis præceptum propalàm incurrat.* Unde etiam hæc *duo Principia* nos libenter admittimus. Sed nondum sunt *Principium* huj9 REI *ULTIMUM & PRIMUM.* Quia enim hoc ipsum sæpe in quæstione est: *An aliquis locus incurrat in morum honestatem, & in articulum aliquem fidei?* & proptereà non solùm hoc: sed etiam ipsa MORUM HONESTAS in dilectione DEI & Proximi, juxta Augustinum, consistens; & FIDEI VERITAS, ex Sacrâ Srriptura probanda & demonstranda est: Ideò patet, quòd unicè ad SacrãScripturam, tanquàm *unicum, ultimum, & primum RERUM CREDENDARUM & FACIENDARUM* Principium recurratur. Ut itaq, hactenùs demonstravimus: *SENSUM SACRÆ SCRIPTURÆ, quoad nos, dependere* nec ab *Ecclesiâ*; nec à *Sensu Patrum*: sed ab *ipsâ SCRIPTURA SACRA & Spiritu Sancto* per

EAM loquentem adeoq; *Scripturam per Scripturam* explicandam esse: Ita esse statuimus : *PRIMUM & IMMEDIATUM* [illegible] *tam & fundamentum*, [illegible] *à claritate in rebus fidei* & *admittendi Tropum*, [illegible] *SCRIPTURAM SACRAM*: Et tunc demum admittendum esse figuratum sermonem, quando vel ex *contextu*, vel ex *locis parallelis*, vel ex *aliis perspicuis & evidentissimis* locis Sacræ Scripturæ, Tropum alicubi admittendum esse, probatum & demonstratum fuerit. Atq; hoc ipsum juxta auream Augustini Regulam, quam proposuit. *Lib. II de Doct. Christ. Cap. IX. in iis, quæ apertè in Scripturâ posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresq; vivendi*: Et paullò pòst. *Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsâ linguâ divinarum Scripturarum in ea quæ obscura sunt aperienda & discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant*. *MORUM* ergò *HONESTAS*, *FIDEI VERITAS*, [illegible] quoq; *ANALOGIA FIDEI principia* quidem sunt, sed [illegible] *PRIMA* [illegible] *PRIMUM* autem est, *ipsa SACRA SCRIPTURA*, in aliis manifestioribus locis *exponens* [illegible].

XII. Con[illegible] nobiscum, & [illegible] probè videntur, [illegible] & [illegible] *Reverendus Dn. D. GLASSIUS*. Hunc [illegible]; postquam ex *Augustino* REGULAM modò allatam proposuisset, immediatè addit: [illegible] *evidentiore, illustriore oraculo ejusdem figuratus sermo detegatur, probetur*q;. [illegible] autem in [illegible] *Sacra* [illegible] sic informat: *S*[illegible] *propriè accipienda* [illegible] *aut* [illegible], *vel aliis locis, figuratus sermo detegatur ac probetur*. Nam ut *B. Lutherus* scripsit *Tom. III. Jen. de serv. arb. p.* [illegible] [illegible] *tropum in ullo Scripturæ loco admittendum esse, nisi id cogat circumstantia verborum evidens, & absurditas rei manifestæ in aliquem fidei articulum peccans, sed ubiq; inhærendum est simplici, puræq; & naturali verborum significationi, quam Grammatica & usus loquendi habet*. Agnoscit hanc quoq; *Bellarminus*, *Lib. I. de Euchar. c. 9. §.* [illegible] scribens: *Communis REGULA explicandæ Scripturæ est, ut non recedamus à proprium verborum sensum, nisi cogamur aliquâ aliâ Scripturâ, vel ab aliquo articulo fidei, aut certè à communi consensu* [illegible]. Ubi duo priora, prius ut *principium primum* & *immediatum*, posterius [illegible]

Ut au-

[illegible] probamus. *Tertium* autem non admittimus, uti ex *Diss. III.* patet. Plures auctoritates apud *[illegible]* [illegible] PRIMUM proinde, & *immediatum* fundamentum est *ipsa Scriptura*, in eodem *contextu*, vel *alio loco* sese exponens: *[illegible]* autem principium & fundamentum sunt *FIDEI veritas*; *[illegible]* CHARITAS. Sicuti Mariam DEO tribuere *[illegible]* metaphoricè; docet in alio loco clarissimè Scriptura, *[illegible]* 24. dicens: *DEUS est Spiritus*. CHRISTUM, *Matth. XVIII.* [illegible] 9. de *abscindendis manu & pede, & eruendo oculo*; Tropicè fuisse locutum, [illegible] in *contextu*, quàm *Ephes. 5.* [illegible] docet, dum inquit: *[illegible] quam suam ipsius carnem odio habuit*. Idem judicium sit de cæteris.

XIII. Adjungimus autem nonnullas adhuc CAUTELAS; I. Valdè *[illegible]* in sacro [illegible] DEI versari debemus, ut nihil temerè inveniamus, addamus, aut minuamus, néve ibi vel fingamus Tropum, ubi non est, vel etiam negemus, ubi sit. *Verba* sunt [illegible] *Spiritus Sancti* plerumque [illegible] quæ semel figuratè dixit, [illegible] proprijs [illegible]. Illa enim ineffabilis bonitas providentiaque DEI merito celebratur, quod etiamsi alicubi aliquid figuratè, aut obscurè dixit, id tamen vel ibidem, vel alibi, planiùs ac luculentiùs propriis verbis exposuit, ne alii occasio [illegible] daretur. Hinc licet *[illegible]*, *[illegible]* [illegible] adeoque *[illegible]* [illegible] vocare [illegible]: Sic hæc omnia contra Calvinianos sunt verba [illegible], *Hoc est Corpus meum*; *Hoc est Sanguis meus*. [illegible] e[illegible] possunt vel *ex contextu*, vel *ex alio* [illegible] parallelo monstrare, [illegible] contineant Tropum. Nam si Tropus in iis fuisset, aut Matthæus, aut Marcus, aut Lucas, aut Paulus in tertio cœlo eductus, & [illegible] scribens; eum exposuisset. Quia autem omnes unanimiter [illegible] dicunt: [illegible] sit, qui quatuor testibus & amanuensibus Spiritus Sancti non vult credere. III. *Textus* ille, propter quem à literâ recedendum & Tropus admittendus est, debet esse *multò evidentior & potentior*: ac Tropus evidentissimis demonstrationibus aliorum oraculorum aut [illegible] DEI demonstrandus est. IV. Necesse,

cillatio, quæ Sacræ Scripturæ conformis sit, quærenda, vel divinæ Sapientiæ & omnipotentiæ relinquenda est. V. Loci, propter quos Tropus admittitur, debent esse *paralleli*. VI. Declaratio & Demonstratio Tropici SENSUS debet esse *1. evidens. 2. sufficiens.* Uti *Pl. Reverend. Dn. D. Glassius* rectissimè cum *Flacio* tradit *loc. cit. p.* 406. *Multi enim*, scribit p. 167. *Flacius: hoc tempore volentes demonstrare Tropum loci alicujus, satis habent unum aut alterum exemplum, utcunq; simile proferre. Quod, quid aliud est, quàm à particulari ad universale argumentari? Pro declaratione fortè hoc satis sit, at pro evidenti demonstratione nequaquam. Quare in locis controversis, unde magni momenti dogmata exstruuntur, necessariæ probationes Troporum adducendæ sunt, probandumq; est, quod eo ipso loco Scriptura tali Tropo usa sit, atq; eo aliove modo, certa loci vox necessario accipi debeat!* Hæc *Flacius*. Quibus nos per omnia consentimus.

XIV. Idem judicium autem, quod hactenus de *ADMISSIONE TROPI* tulimus: ferendum etiam est de *CANONIBUS PHILOLOGORUM*, Non enim sufficit dicere aliquem locum ex aliquo *CANONE POSSE* explicari: sed ex contextu & locis parallelis Demonstrandum est, quòd *DEBEAT*. Vid. *Luth. Tom. III. Jen. Germ. p.* 295. Ferendum etiam est de *RESTRICTIONIBUS* & *AMPLIATIONIBUS* sententiarum. Non enim ulla vel *Restrictio*, vel *Ampliatio* admittenda est, nisi ea evidenter & sufficienter ex ipsâ Scripturâ demonstrata sit. Alias enim reverà Fides nostra non *CERTITUDO*, sed mera futura esset *OPINIO*, si cuilibet sua hîc concederetur libertas. Videsis etiam Gerhardum in *Tractatu* de Interpretatione Scripturæ S. qui legitur Tom. I. qui omnia hæc suo etiam approbat calculo. Ac tantum est, quantum de re summi momenti, Sensu nimirum Sacræ Scripturæ cum benevolo Lectore communicare voluimus. *Ducat nos DEUS in omnem veritatem! & ab errore sensus nostras conservet & præservet!*

COROLL. LOCO

Qu. I. an puncta Ebr. ipsis literis sint coæva?
II. An aquæ supra-cœlestes dentur?
III. An versio Græca, quæ hodie exstat, in solidum septuaginta illis interpretibus sit adscribenda?

F I N I S.